

In Animali Motu similiter multum restat perscrutandum. Ambulant homines, laborant, & varia opera perficiunt: nemo cognoscit modum, ne extensionis quidem digiti: quicquid in contrarium dicant de musculorum inflatione, fibrarum crispatura &c. Recensiores. Addemus tandem ipsam nostram generationem; quæ non sunt de ea controversiæ? & quis tandem modum, quo partes hominis delineantur, nos docebit? Quantum ergo de his omnibus nobis sit affirmandum, consilium admodum prudens dedit Aben Esra:

חושך שפתיו ושורת דעתו :

Prov: 17.  
v. 27.

Quadrat huc Terentianum illud: Faciunt nam homines intelligendo, ut nihil intelligant: & longe securior erit nostra sententia: *ἄδεν ὀρίζομεν.*

Pagina expleta plura, interdicit, adeoque lampada, ponimus & Summo DEO submissas decernimus grates, quod vires nobis concesserit, quibus nostrum nunc stadium decurrere potuimus.

### COROLLARIA,

I.

Rationi, si rem quoad circumstantias omnes examinarit, fidendum, nec prius.

II.

Cognitio per sensus perfecta est, in quantum sensus circa debita objecta, debitoque modo sunt constituti.

III.

Physica per Scientiam quatenus est in homine definiri non potest.

IV.

Imperfecta admodum est Medicina ob Physicam imperfectam.

V.

Præter extensionem actualem in materia nihil clare percipimus.



Coll. diss. A 199, misc. 12